



**De Vita Et Rebus Gestis Christophori Bernardi Episcopi Et  
Principis Monasteriensis Decas**

**Alpen, Johann von**

**Coesfeldiae, 1694**

7. Procedunt ad electionem. Propositio Decani. Resolutio Capituli. Eligitur  
Christophorus Bernardus. Decano appellante.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68495](#)

1650.

7.  
Præsen-  
tes Capi-  
tulares  
ad Ele-  
ctionem  
proce-  
dunt.  
Proposi-  
cio De-  
cani.

reditarius, Barones de Galen. Excessum  
verò creaverat tunc Metternichij & Plet-  
tenbergij eodem super canonicatu protra-  
cta altercatio. Illo Pontificiæ, hoc Ordi-  
nariæ collationis jus obtendente. Et quan-  
quam fortior authoritas in ordine prio-  
rem collocârat, noluit tamen primævus  
Collegarum favor, suorum numero po-  
steriorem excludi, priusquam tota lis in  
Urbe terminata esset.

Quotquot interim ex iis Capitulares ac  
suffragandi potestate prædicti, præsentesque  
erant, ad conclave Collegij se receperunt.  
Ubi considentes Mallingerotius Decanus  
in hunc fere modum atiatur. *Esse, quia*  
*priusquam scrutinij initium sumatur, in*  
*medium adduci & antea putet decerni*  
*oportere. Et ne cum temporis jactura*  
*Collegarum animos din sustentet, mox*  
*subdit: paulò ante detectum sibi fide cer-*  
*tâ, hac ipsâ nocte potissimam Capitula-*  
*rium partem domi cuiusdam Canonici*  
*convenisse; habitoque tractatu in per-*  
*sonam Thesaurarij unanimes conspirasse.*  
*Constare interea tractatus hujusmodi Ca-*  
*pitulares, uti universales esse, ita nemini*  
*non invitum excludi ab iis aut ne-*  
*gredi debere. Cum igitur ipse vocatus*  
*non esset, sed omnino præteritus, desi-*  
*derare pariter admitti, & ea-propter*  
*instans nunc scrutinium in crastinum usq;*  
*diem*

diem prorogari. Quod autem certior esset, isthic famam sui graviter laesam, ut eam ocyus integrum probaret, ipso hoc momento offerre promptam iurejurando purgationem, sed & parem aliis deferre. Necessarium judicare utriusque præstationem, priusquam ad ulteriora procedatur. Atque hæc præfatus, quò major esset suam cuique sententiam promendi libertas, inde ad superius conclave secessit.

Capitulares discussis mature singulis, Resolu-  
quæ proposita erant, nonnullis è gremio  
committunt, qui ad Decanum referant, ele-  
ctionem, cui lux præsens legitimè indicta,  
& ad quam absentes Canonici hodie pariter  
vocati sint, in sequentem diem protrahi  
non posse, oblatamq; juramenti prompti-  
tudinem omnino supervacaneam existinari,  
nec mereri utriulq; considerationem, ut  
scrutinium propterea differatur. Decano  
priora recoquenti, urgentiq; pensiculatiū  
ut rem tanti considerent, idem ipsum eā-  
dem Capituli constantiā, & iterū, & ter-  
tiō responsum est. Postquam ea altercatio  
integras ferè quatuor horas absumpsit, Ca-  
nonici moræ impatientes Decano postre-  
mū denunciant, sibi ultrà disceptare haud  
integrum, sed unanimi consensu decrevisle  
initium scrutinij, quod si Decano pro offi-  
cio præsidere grave sit, designaturos se, qui  
vicem suppleat Collegij Seniorem. Hoc  
tandem

1650.

tandem nuncio excitatus ad conclave redit,  
ac dein pauca protestatus, in scrutinium  
consentit. Observatis igitur iis, quæ in  
Electio[n]ibus Præsulūm sacro jure cauta  
sunt, peractoq; ritè scrutinio cum scruta-

*Eligitur* torum princeps (erat is Schellius S. Mauriti⁹  
*Christo-* Præpositus) invocato DEI nomine Christo-  
*phorus* phorum Bernardum de Galen Thesaurarium,  
*Bernar-* potiori suffragiorum numero ritè electum,  
*dus.* in Domo Capitulari promulgat, applau-  
dentibus de Collegio statim omnibus, &  
Principatum Electo gratulantibus, Decanus

*Decano* iteratā protestatione, provocat ad Pontifi-  
*appel-* cis Tribunal.  
*lante.*

Inter eam protractæ electionis incertitu-  
dinem varij miscebantur in urbe sermones,  
& uti lentitudo hæc apud non paucos au-  
gebat periculi ex infausto successu metum,  
ita è contra nonnullorum etiam spes su-  
stentabat, ac desideria, Mecœnatibus suis  
vel eâ ratione certius adhuc destinantium  
tiaram Episcopalem.

8. Sed dum sub quartam circiter pomeri-

*Promul-* dianam ex æde Capitulari prodit Smilingius  
*gatur.* Præpositus, & *Christophorum Bernardum*

electum communi consensu Præsulem ex  
Odæo promulgat, hinc timor omnis & an-  
xietas, inde spes ac vota multorum cecidere.  
Igitur Concilio egressi Capitulares Electum

*Educi-* ad Principem primū aram, (ubi in ge-  
*tur ad* nua provolutus pia ad DEUM suspicio  
*aram.* tacitus